

CONSOCIATIO
INTERNATIONALIS STUDIO IURIS
CANONICI PROMOVENDO

STATUTA

§ 1. NOMEN - SEDES - FINES

Art. 1— Constituitur "Consociatio internationalis studio iuris canonici promovendo".
Consociationis sedes Romae est.

Art. 2 — Consociatio id spectat ut diffundatur atque impense excolatur studium tum iuris canonici tum iuris in civitatibus de Ecclesia catholica deque aliis Ecclesiis communitatibusve ecclesialibus vigentis, promovendo cooperationem scientificam necnon didacticam inter eos qui praedictis incumbunt disciplinis, in specie quidem ordinando conventus particulares, generales aut internationales, seminaria, investigationes coniunctim factas, praelectiones de peculiaribus quaestionibus tractantes.

§ 2. SODALES

Art. 3— Sodales distinguuntur in:
a) sodales ordinarios
b) sodales bene merentes.

Art. 4 — Sodales ordinarii sunt qui, iisdem studiis incumbentes - cuiusvis sint nationis aut religiosae confessionis, et quidem sive gradum munusve academicum obtinuerint sive non - Consociationi adscribi expetant atque a Consilio moderationis admittantur.
Consociationi adscribi possunt etiam universitates personarum aut rerum, quae fines persequuntur culturales aut scientificos, finibus Consociationis similes.

Art. 5 — Sodales bene merentes sunt personae necnon universitates personarum aut rerum quae eiusdem Consociationis expensis modo stabili provident, saltem ratione a Consilio moderationis definita, aut quae magno opere conferunt ad fines Consociationis persequendos.

Art. 6— Ad communia Consociationis commoda perfruenda, pro tempore admitti possunt etiam extranei, quorum Consociationis actio interest, et quidem prae aliis iuvenes studentes qui id petant.

Art. 7— Sodales obligatione tenentur:
a) fideliter observandi statutorum normas necnon Consociationis organorum decisiones legitime latas;
b) abstinendi ab omnibus quae honori Consociationis detrimento esse possint;
c) sustinendi Consociationis onera per tributum a Consilio moderationis singulis annis definitum.

Art. 8— Desinit quis esse sodalis Consociationis renuntiatione aut exclusione.
Exclusio pronuntiatur a Consilio moderationis, cum sodalis regulariter tributum solvere omiserit, aut cum permanenter obligationes sibi sumptas non adimpleverit, aut cum eiusdem adscriptio honori Consociationis noceat. Hoc ultimo in casu requiritur ut per duas tertias

membrorum Consilii moderationis partes decisio feratur, contra quam praeterea recursus datur ad Coetum plenum Consociationis, cuius quidem iudicium, secundum maiorem simpliciter suffragiorum partem fertur.

§ 3. CONSOCIATIONIS ORGANA

Art. 9 — Consociationis organa sunt quae sequuntur:
a) Coetus sodalium plenarius
b) Praeses et duo Vice-praesides
c) Consilium moderationis
d) Commissio executiva
e) Consiliarius delegatus et Secretariatus
f) Collegium revisorum

Coetus sodalium plenarius

Art. 10 — Coetus sodalium plenarii membra sunt sodales ordinarii, qui tributum rite solverunt.
Huius Coetus sodalium plenarii est: Praesidem, Vice-praesides, cetera Consilii moderationis membra necnon Revisores eligere; decisiones ordinationesque generales ad Consociationis actionem pertinentes decernere.
A Praeside, cuius est eiusdem labores moderari, convocatur quoties idem Praeses id requiri iudicaverit aut tres decimae partes sodalium id expetierint, atque, saltem singulis tribus annis, occasione nempe Congressus scientifici Consociationis.
Decisiones feruntur, secundum maiorem suffragiorum partem, per sodales praesentes, iis tamen exceptis decisionibus quae ad mutationes pertinent statutorum, quae quidem per duas tertias sodalium partes probari debent.
Unusquisque sodalis vi delegationis, summum tamen quinque sodalium, in suffragium ire valet.

Praeses et Vice-praesides

Art. 11 — Praeses itemque duo Vice-praesides a Coetu sodalium plenario ad sexennium eliguntur.
Praesidis est actionem scientificam Consociationis moderari; item convocare Coetum sodalium plenum et Consilium moderationis, quorum etiam labores moderantur.
Ubi urgens adsit ratio, exercere valet munera Consilii moderationis, quod tamen in conventu proximo res gestas ratas habebit necne.
Praeses potestates suas ex toto aut ex parte Vice-praesidibus delegare valet.
Nomine Consociationis in iudicio aut erga alios agere, itemque eiusdem nomine subscribere spectat disiuncte ad Praesidem et ad Consiliarium delegatum.

Consilium moderationis

Art. 12 — Consilium moderationis constat Praeside, utroque Vice-praeside, necnon 15 membris ad triennium a Coetu sodalium plenario electis; vacantibus in eodem

CONSOCIATIO

INTERNATIONALIS STUDIO IURIS
CANONICI PROMOVENDO

uno aut pluribus officiis, ipsius Consilii moderationis est cooptatione alios sibi adiungere, qui suo munere funguntur usque ad subsequentem Coetum sodalium plenarium.

Consilium moderationis congregatur saltem singulis annis necnon quoties Praeses id necessarium duxerit aut id postulaverint tria saltem eius membra.

Ad validitatem deliberationum requiritur ut adsit saltem dimidia membrorum pars utque decisiones probentur maiori praesentium numero; si vero suffragia sint numero aequalia, rem dirimit qui Praesidis munere fungitur.

Consilii moderationis est definire Consociationis actionum scientificarum rationem, ad normam decisionum Coetus sodalium plenarii, itemque probare rationem quaestuum et erogationum praevidiam necnon rationem accepti et expensi.

Consilium moderationis delegat unum e suis membris uti Consiliarium delegatum.

Eiusdem est quae in statutis introducendae videantur mutationes proponere, atque Consociationis ordinationem (regolamento, règlement) probare.

Eiusdem tandem est etiam definire tributum a singulis sodalibus solvendum.

Art. 12 bis*. 1. Consilium moderationis Coetui Sodalium Plenario proponere potest ut membra honoraria Consilio moderationis adscribantur aliqui Consociationis Socii qui in ipso moderationis Consilio optime promeriti sunt, ita tamen ut numerus membrorum honorariorum sit maximum quatuor.

2. Praeter hos, qui munere Praesidis Consociationis functus est, ipso iure Consilii moderationis est membrum honorarium.

3. Membra honoraria partes habere possunt in moderationis Consilii sessionibus, non tamen habent votum deliberativum nec eorum praesentia in numero necessario ad deliberationum validitatem computatur (v. Art. 12); caeterum obligationibus communibus Consociationis Sociorum tenentur.

Commissio executiva

Art. 13—Commissio executiva constat Praeside, Consiliario delegato necnon aliis tribus membris Consilii moderationis ab ipso hoc Consilio electis.

Haec Commissio cogitur etiam uno petente membro.

Eiusdem est providere ut executioni mandetur ratio scientifica actionis a Consilio moderationis definita, atque providere impensarum administrationi, apparando scilicet rationem quaestuum et erogationum praevidiam necnon rationem accepti et expensi.

Consiliarius delegatus et Secretariatus

Art. 14 — Consiliario delegato competit ordinariam Consociationis dirigere administrationem, atque, sicuti et ipsius Praesidis, nomine Consociationis erga alios agere.

Consiliario delegato subest Secretariatus uti organum sic dictum technicum, quod organis regiminis Consocia-

tionis auxilio est, et curat ut horum decisiones executioni mandentur.

Secretariatus constat uno aut pluribus membris - quorum aliquis thesaurarii munere fungitur - quae, ad triennium, a Consilio moderationis nominantur.

Collegium revisorum

Art. 15 — Collegium revisorum constat tribus membris, quae a Coetu sodalium plenario eliguntur et per triennium munere hoc funguntur.

Cum vacat in eo aliquod officium, Consilii moderationis est alium nominare, qui suo munere fungitur usque ad subsequentem sodalium Coetum plenarium.

Ipsi competit munus inspiciendi in Consociationis administrationem, in statutorum observationem necnon in organorum Consociationis deliberationes.

Ipsi competit quoque dirimere controversias sive inter sodales sive sodales inter et Consociationis organa ortas, salvo quidem recursu ad Coetum sodalium plenarium.

§ 4. PATRIMONIUM ATQUE REI NUMMARIAE ADMINISTRATIO

Art. 16 — Patrimonium constat acceptis redditibus - pecuniis collatis atque tributis solutis - necnon bonis omnibus quae qualibet ratione Consociationi cedunt.

Art. 17 — Decursus rei nummariae a die prima ianuarii ad diem 31 decembris protrahitur.

Expensae fiunt congruenter rationi quaestuum et erogationum statutae. Expensas vero in eadem ratione non provisae indicare valent Consilium moderationis necnon, si id omnino requiratur aut res urgeat dumtaxat, Praeses aut Consiliarius delegatus, quo tamen in casu requiritur ut ratas ensdem habeat Consilium moderationis.

Art. 18 — Administratio rei nummariae competit Thesaurario, cuius est erogationi expensarum providere iuxta decisiones ab organis Consociationis competentibus latis.

§ 5. DISSOLUTIO

Art. 19 — Consociatio dissolvi potest a Coetu sodalium plenario, per quattuor ex quinque partibus sodalium stante.

Statuta dissolutione, Coetus sodalium plenarii est eos designare qui bona Consociationis expendant, ac de eorum destinatione decernere.

* *Coetus sodalium plenarius diei 6-IX-2001.*